

medicamentis, & maceratis loco calidiorē, hyberno quidem tempore post fornacem conficiuntur.

Vsus vinorum medicatorum alterantium est, alterno vel tertio die in principio prandii. Purgantium vero, posteaquam horis 24. in infuso steterint, horis duabus ante prandium, præmissō tamen iuscūlo, & quidem vel quotidie vel alternis diebus, si febris impediāt, vel prout frequentiores deiectiones causabit. Communiter autem hæc vina purgantia duabus à cibo horis aluum mouere solent. Horum vero vinorum cathartīcorum præcipue vsus esse potest hyberno tempore in morbis frigidis & chronicis, quæ syrupis præstantiora sunt.

De Pilulis.

C A P. XXV.

INter alia medicamenta, quæ in officinis asseruantur, sunt massæ, vel magdaleones, ex quibus pilulæ conficiuntur. Sunt autem pilulæ *medicamenta figura rotunda, quæ parua quantitate, sed integra semel deuorantur, ad medicamenti insuauitatem fallendi inuenta.* Dicuntur pilulæ à rotunda forma parua: pilæ, Græcis καταπότια, ab absorbendo, vocantur, apud quos catapotia omnia illa appellantur, quæ non diluuntur, sed vt sunt, deuorantur, vt ex Scribonio Largo *a* & Marcello Emphyrico *b* colligitur.

Inuentionis causa duplex est, vna, vt hæc, parua quantitate accepta, ægros minus molestant: altera, vt dum diu in ventriculo subsistunt, e partibus

a cap. 87.

b cap. 26.